



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Cap. IV. De Subjecto Legum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

præcepto Superioris subordinati : præceptum altioris virtutis præcepto virtutis inferioris : præceptum negativum affirmativo, quia illud obligat semper, & pro omni tempore, *nec sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Rom. 3.

Hinc si die Festo infirmus tuâ operâ egeat tempore Sacri, teneris ei opitulari. Quia præceptum divinum naturale charitatis, quæ est virtus omnium præstantissima, prævalet omnibus aliis præceptis. Quod si minus præceptum notabiliter nobiliori præferas, peccas mortaliter, quia excessus est notabilis: ideoque gravis est inordinatio, à qua tamen sæpè excusat ignorantia in rudibus.

Dixi per se loquendo. Nam interdum servari debet præceptum inferius, ut cum hujus materia gravis concurrat cum materia levi præcepti majoris. Sic non debes omittere Sacrum die Festo ad levandam levem molestiam infirmi tua ope tunc non graviter indigentis.

CAPUT IV.

De Subjecto Legum.

Q. I. **Q**uam Legibus humanis subjiciuntur?

Resp. Ex communi, omnes, & soli adulti subditi, Prob. I, quoad omnes, & so-

solos adultos, saltem qui non fuerint perpetuò amentes. Quia illi omnes, & soli sunt capaces cognitionis, & directionis humanæ, & libertatem habent saltem habitualem.

2. Quoad subditos, quia jurisdictio non potest exerceri nisi in subditos, & nemo habet jus præcipiendi, nisi subditis. c. 21. *Desent. excom.* cum potestas præcipiendi subjectionem in aliis essentialiter connotet, & inferat.

Hinc *Resp.* I. Infantes legibus humanis præceptivis non obligantur: unde secluso scandalo licet eis dare carnes comedendas die veneris. Idem multi docent de perpetuò amentibus; quia sentiunt eandem esse rationem pro illis, & videri sicut infantes. Sed negat Sanchez asserens hoc inter illos discrimen, quòd infantes ea ætate suapte naturâ usûs rationis incapaces sint: at perpetuò amentes, ubi jam infantia ætatem excedunt, suapte naturâ usûs rationis capaces sunt, & ex quodam solo accidenti eo privantur, quamvis ob defectum deliberationis à legis transgressione excusentur perinde, ac ignorantes invincibiliter. Porro constat non licere eos, uti nec infantes, excitare ad iram, libidinem, blasphemiam, & alia intrinsecè mala: nam excitans censeretur causa moralis, ac principalis horum actuum intrinsecè deformium, & ex objecto malorum,

H atque

atque amentis operâ uti velut instrumento ad illos.

Resp. II. Pueri saltem anno septimo completo obligantur præceptis, quorum materia eorum ætati congruit, ideóque tenentur ad auditionem Missæ, Confessionem, abstinentioniam à carnibus, &c.

Resp. III. Ebrii; & ad breve tempus delirantes tenentur legibus: quia sunt in statu habituali usûs rationis, licet per accidens pro aliquo tempore impediti; & fuere aliquando obligati lege, quæ semper eandem vim obligandi retinet: unde non licet eis dare carnes comedendas die vetito, cum hæ sint illis prohibitæ.

Resp. IV. Infideles tenentur omnibus præceptis Evangelicis; quia subditi sunt Deo: non tamen legibus Ecclesiasticis ex c. 8. *De divort.* quia nemo est subditus Ecclesiæ, nisi per Baptismum. Ad utrasque leges hæretici obligantur; quia sunt subditi Deo, & Ecclesiæ, quamvis rebelles.

Q. 2. *An exempti à jurisdictione legislatoris, obligantur illius legibus ex vi illarum, si in ejus territorio habitent?*

Resp. Neg. Quia exempti non sunt subditi legislatoris; nam desinunt esse subditi hoc ipso, quòd ab ejus jurisdictione exemptantur, secundùm id scilicet, in quo exemptantur.

muntur. At legislator non potest obligare suis legibus nisi subditos, cum careat jurisdictione in non subditos.

Quare Religiosi exempti non obligantur legibus Episcopalibus, aut Synodalibus, imò nec Decretis Synodi Provincialis, ut declaravit S. Congregatio apud Fagnan. in c. *sicut olim*; nisi in casibus, in quibus à jure communi, Conc. Tridentino, & summis Pontificibus potestas in ipsos specialiter Episcopis, aut Concilio Provinciali concessa est. Quia scilicet Religiosi illi sunt exempti à jurisdictione Episcopali. Ex decreto autem Trident. sess. 25. c. 12. tenentur servare Censuras, & Interdicta ab Episcopis lata, & Festos dies ab illis præscriptos. Imò juxta Vasquez, Sanchez & alios tenentur jure naturali, & ex æquitate servare præcepta Episcoporum spectantia ad communem observantiam, & totius populi devotionem, in iis, quæ statui, & Privilegiis Regularium non adversantur, ut jejunia, preces ad causam publicam: nam licet sint exempti, sunt tamen pars illius communitatis, & ejus commoda participant.

Item omnes exempti, sed præsertim Regulares, qui ex suo instituto incumbunt in salutem proximi, debent Episcopos ut Principes Ecclesiæ, & *Successores Apostolorum positos à Spiritu S. regere Ecclesiam Dei.* (Trid. sess. 23. c. 4.) *lingulari*

honore, reverentiâ, & amore prosequi, & eorum statuta ad rectam administrationem Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & ad bonum animarum Diœcesis spectantia diligenter servare, & in hoc cœteris exemplo prælucere: nam hæc est voluntas Dei, nec aliàs possunt in salutem proximi utiliter incumbere. Et ideò hoc magnoperè verbo, & exemplo commendarunt Sanctus Ignatius de Loyola, & Sanctus Franciscus Xaverius.

Q. 3. An legislator obligatur legibus suis, vel prædecessorum?

Resp. I. Legislator non obligatur legibus Prædecessorum suorum vi ipsarum Legum; quia non est subditus illorum, parem enim cum illis habet potestatem, imò eandem: neque obligatur suis legibus, quia non est sibi subditus, nemo enim sui ipsius subditus, & superior esse potest. *Neque imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest.* L. 51. ff. de recep. arbit. Legislator autem non potest obligare nisi subditos. Hinc illud L. 31. ff. de Legib. *Princeps Legibus solutus est.*

Resp. II. Legislator tenetur servare leges à se, vel à prædecessoribus suis latas, quando materia convenit Principi, & subditis. Ita S. Thom. 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. & Theologi communiter. Tenetur autem

tem

tem jure naturali : quia 1. Lex naturalis præcipit, ut Princeps communitati, cujus Caput est, se conformet in iis, quæ æquè ipsi, ac aliis conveniunt. Nam hoc ad utilem, ac convenientem communitatis gubernationem necessarium est, & pertinet ad officium Principis, qui subditis suis exemplò præesse debet. Enim verò ex S. August. l. 3. Confess. c. 8. *Turpis omnis pars est suo universo non congruens.* Quanto magis Caput non congruens. 2. Princeps æquè, imò magis, quàm subditi tenetur curare, & prosequi bonum commune, ac proinde servare leges, quæ omnes in bonum publicum feruntur. 3. Ex jure tum canonico cap. 6. de Constit. *Quod quisque juris in alterum statuit, ipse debet uti eo . . . Patere legem, quam tu ipse tuleris.* Et c. *Iustum est* Dist. 9. tum civili L. 4. Cod. de Legibus. *Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri . . . Et reverè majus imperiè est subicere legibus principatum.* Adde S. Ambros. Epist. 32, ad Valentin. *Quod præscripsisti, aliis præscripsisti, & tibi; leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.*

Not. 1. Legislator jure naturali tenetur leges suas servare, etiam secluso scandalo; & quidem tam graviter, quàm subditi ejus, ut docent Suarez, & multi Doctores, quos citat : Quia hoc exigat æquitas, officium

Principis, bonum commune, & recta, ac utilis gubernatio, quæ postulat, ut omnia communitatis membra vivant uniformiter in iis, quorum materia omnibus æquè convenit.

2. Legislatores violans legem suam, vel prædecessoris sui, admittit peccatum ejusdem speciei, ac subditi eam violantes v. g. peccatum intemperantiæ, si non servet jejunium à se præceptum. Nam Lex naturalis imponit illi eandem obligationem, quàm ille subditis per suam legem. Non tamen incurrit pœnas Lege humana impositas, quia legibus illis humanis non est subjectus, sed solum juri naturali præcipienti actus virtutis lege præscriptos, nec illas pœnas statuenti.

3. Si Legislatores habeat justam causam non servandi legem, ob quam licitè dispensare posset cum subdito, tunc non tenetur servare legem. Quia tunc cessat ratio obligationis, tunc enim officium Principis, & recta gubernatio legis observationem non exigunt, & difformitas rationabile fundamentum habet. Quare tunc propriè non dispensat secum; sed solum interpretatur legem naturalem ipsum non obligare ad servandam legem suam, quando habet causam rationabilem, ob quam ipse subditum meritò liberaret ab ejus obligatione; cum non sit ipse deterioris conditionis, quàm subditi. At peccat

cat, quoties sine justa causa legem suam non servat, quia violat legem naturalem, cujus obligationem tollere nequit.

4. Hic agitur solum de Legislatore habente potestatem ferendi leges absolutam, & independentem à communitate. Nam Duces Rerum publicarum tenentur legibus, quas cum illis tulerunt, & Generales Ordinum obligantur legibus in Capitulo Generali latis: quia subditi sunt communitati, à qua feruntur.

Q. 4. An Clerici obligantur legibus civilibus?

Respondet Bellarm. l. 1. de Cleric. c. 28. Clericos in conscientia obligari legibus civilibus, quæ non repugnant sacris canonibus, vel officio Clericali; qualis est Lex taxans pretium rerum, vel vetans nocturnam armorum gestationem, aut asportationem frumenti extra Provinciam, &c. Probat quia 1. Clerici sunt etiam cives, & partes quædam, seu membra communitatis politicæ, & commodis ejus fruuntur. Unde æquitas, & recta ratio postulat, ut se cæteris omnibus membris conforment in iis, quæ æquè illis, ac Laicis conveniunt. Aliàs magna confusio, & perturbatio in rep. oriretur, si Clerici illas leges non servarent. 2. Nicol 1.

Epist. 8. dicit Christum divisisse Pontificiam authoritatem ab Imperiali, *ut & Christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur.* 3. S. Chrysofost. in illud Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ait, Christi legem non tollere politicas leges, & ideò debere etiam Sacerdotes, & Monachos eis parere. Hancque esse communem sententiam, quoad vim directivam, seu obligationem in conscientia, de qua agitur, testatur Suarez.

Q. 5. *An peregrini tenentur legibus sui Territorii propriis?*

Nota 1. Peregrinus, advena, vagus inter se differunt. Peregrinus dicitur is, qui extra territorium, ubi domicilium habet, transit per aliquem locum, vel alicubi moratur animo redeundi. Advena, qui extra patriam suam domicilium fixit. Vagus, qui nullibi domicilium fixum habet.

Nota 2. Certum est præcepta personalia, quæ scilicet afficiunt immediatè personas, non territorium, semper illas obligare ubicumque fuerint: Nam illa semper personis cohærent. Hinc si Episcopus Sacerdoti usum sui Ordinis absolutè vetuisset,

is

is in aliena Diœcesi celebrare non possit.

Nota 3. Si lex prohibeat actionem ubi-
vis factam, quæ cedat specialiter in dam-
num communitatis, ut est venditio armo-
rum, vel aliarum rerum hostibus; hæc ex
communi sententia obligat subditum extra
territorium versantem, qui puniri potest, si
illam violet. Quia tunc delictum cense-
tur intra territorium committi; damnum
enim ei illatum censetur moraliter factum
intra illud. Ex L 4. Cod. de commerc.

Resp. I. Peregrini non tenentur servare
leges sui territorii, quando extra illud ver-
santur, ubi illæ non obligant, modò non ab-
sint in fraudem. *Ita communis.* Prob. 1.
ex Cap. 2. de Constit. in 6. ubi dicitur
statuto Episcopi, quo furantes excommu-
nicantur, non ligari ejus subditos, qui extra
Diœcesim furantur: *cùm extra territorium
jus dicenti non pareatur impune.* 2. Quia
Leges, & consuetudines locales sunt solùm
pro tali loco, seu territorio, eique sunt affi-
xæ; & jurisdictio, ut respicit territorium,
intra illud limitatur. Et verò potestas le-
gislativa agere non potest extra sphæram
activitatis suæ, quæ sphæra non extenditur
extra proprium territorium.

Suppono, quòd tum ipse peregrinus, tum
res, circa quam operatur, & ejus actio, sint
extra territorium. Nam si res, circa quam
agit, vel ejus actio, aut omissio sit intra ter-
ritorium, licèt ejus persona sit extra, tunc

H §

ex

ex communi ipse tenetur legibus territorii, & pœnis per illas statutis. Quia tunc delictum meritò censetur committi intra territorium, non extra. Nam omissio rei præceptæ, vel commissio rei prohibitæ ibi censetur consummari, ubi res præcepta, vel vetita fieri, vel omitti debuisset; & delinquens censetur ratione delicti ibi esse moraliter præsens. ex L. 2. *Cod. quæ res exportari*, &c. Hinc Beneficiarius absens à territorio, in quo Beneficium habet, contrahit Censuras in non residentes latis ab Episcopo Beneficii, quia ibi delictum consummatur. ex Cap. 2. *de cleric. non resid.*

Resp. II. Juxta multos peregrinus non tenetur servare præcepta etiam juris communis, v. g. Jejunium Vigiliæ, vel Festum S. Thomæ, si illa ex privilegio aut consuetudine legitima non servetur in loco, ubi bona fide diversatur. Quia Privilegium Locale, vel consuetudo localis, spectat omnes, qui sunt in loco. Hinc S. August. Epist. 118. docet in iis, quæ non sunt contra fidem, & Legem divinam, posse quemque se conformare Ecclesiæ particulari, in qua moratur.

Resp. III. Qui causâ subterfugiendi Legem etiam Localem, abit in locum ubi illa non viget, non ideò ab illius obligatione liberatur. Quia I. (ut ait Layman) Leges, quæ ad subditorum utilitatem præsertim spiritualem ordinantur, ut sunt Eccle-
sia

fiastica, eam conditionem annexam habent, quam communis fidelium persuasio, & Episcoporum praxis ostendit, ut subditis sine justa causa earum obligationem subterfugere non liceat; cum id necessarium sit ad bonum regimen, & efficaciam legum, & ad præcludendam januam multis abusibus, præsertim in confinibus diversarum Diocesium. Imò ipsa Lex divina naturalis generatim præcipiens diligentem observationem Legum, & ordinis, id vetat.

2. *Fraus, & dolus alicui patrocinari non debent.* Cap. 15. & 16. *de rescrip.* at fraudem committit in legem, qui solo animo eam subterfugendi absque alia justa causa abire proprio territorio: nam *fraus legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit* (expressè) *id fit.* L. 30. ff. de Legib. Neque dici potest, quòd abeundo utatur jure suo; nemo enim habet jus exeundi è proprio territorio solùm ad eludendas illius leges: sicut nullus habet jus iter instituendi, vel laborandi causâ subterfugendi legem jejunii: & qui hoc faceret censeretur in fraudem Legis agere, & secundùm communem sententiam, teste Layman, peccaret contra Legem.

3 Ex Responso Cardinalium ab Urbano VIII. in Brevi ad Archi-Episcopum Coloniensem authoritate Apostolica confirmato, quod declarat de incolis loci, ubi viget Conc. Tridentinum. Discedentibus

bus

bus in locum, ubi non fuit publicatum, solo animo Matrimonium clandestinum contrahendi, sine mutatione domicilii, *non esse legitimum Matrimonium inter sic contrahentes cum fraude.* Ergo tales adhuc tenentur Lege Tridentini irritante Matrimonium clandestinum, & discesserunt cum fraude. Ergo, &c.

Hinc peccant contra Legem, qui aliò discedunt, præcisè ut carnibus vescantur, vel operibus servilibus vacent, cùm hæc in sua Dicecesi vetita sunt,

Q. 6. An qui è suo domicilio, ubi Lex obligat, abit in locum ubi non obligat, tenetur illam implere antequam exeat?

Resp. Tenetur si prævideat illam impleri non posse in alio loco. *Est communis.* Quia 1. Hæc est praxis, & persuasio fidelium timoratorum. 2. Lex illa talem obligat, & tempus, quo adhuc versatur in suo domicilio, unicum est ei aptum ad illam observandam: quare perinde est, ac si eo solo tempore obligaretur. At quisque tenetur servare præceptum eo tempore quo obligaretur. 3. Ut ait Suarez, præceptum affirmativum debet impleri, quando potest, & prævidetur postea non implendum. Neque enim requirit, aut concedit certum temporis spatium, pro quo possit semper
ejus

ejus observatio differri; sed obligat, ut quam primum potest, impleatur, si postea non possit impleri: alioqui non esset satis efficax, & sæpè eludi posset. Et verò respectu talis non est aliud tempus ad implendum præceptum: ergo tunc tenetur illud implere, alioqui nullo tempore teneretur.

Hinc qui abit die Festo ad locum, ubi non est Festus, tenetur audire sacrum priusquam exeat, si possit absque gravi incommodo, & nequeat alibi audire: sicut si non exiret, teneretur audire primam Missam, si prævideret postea impeditum iri; quia præceptum obligat simpliciter illo die, & non potest impleri nisi audiendo Missam primam, nam hîc, & nunc, & respectu talis hominis illa est unica, & præsens hora est ultima ipsi apta ad implendum præceptum. Alioqui omissio meritò imputatur ad culpam.

Not. Si in loco domicilii tui sit Lex jejunii, non potes ibi jentaculum sumere manè, eoquòd scias te vespere fore in loco, ubi illa non obligat. Quia obligaris jejunio, quandiu existis in loco, ubi obligat. Nec spes dispensationis, nec dispensatio, quæ nondum est, nec privilegium loci, in quo non es, obligationem præcepti, quo hîc, & nunc ligaris, tollit.

Q. 7. *An peregrini tenentur Legibus specialibus loci, in quo versantur?*

Not. Certum est 1. Eos, qui accedunt ad aliquem locum animo ibi perpetuo manendi, teneri statim Legibus illius loci, cum jam verè sint illius incolæ. Nam domicilium hoc ipso acquiritur, quo quis incipit in loco habitare animo ibi perpetuo manendi ex l. *Cives, Cod. de incolis.* 2. Statim teneri Legibus loci eos, qui in illum veniunt animo ibi manendi per majorem anni partem, ut faciunt Scholastici, famuli, operarii, &c. Constat ex usu, & communi Doctorum sententia. Nam tales consequuntur ibi quasi domicilium sufficiens, ut statim quis fiat Parochianus idoneus ad ibi Sacramenta omnia præter Ordinem recipienda. 3. Peregrinos teneri servare Leges loci, per quem transeunt, quando aliàs esset periculum scandali, cum hoc vetet Lex naturalis: vel quando illæ Leges sunt Juris communis, quamvis ex consuetudine, vel Privilegio non serventur in loco domicilii sui, ut docent communiter Theologi; quia Legislatori Juris communis subditi sunt, nec habent causam excusantem, cum consuetudo, vel Privilegium extra territorium vim non habeat. 4. Peregrinos teneri servare in contractibus Leges, ac consuetudines loci, in quo contrahunt, nam quisque sortitur forum in loco

loco contractus Cap. ult. *De foro Compet.*

Resp. Peregrini, & à fortiori Vagi, tenentur servare Leges, & consuetudines etiam speciales loci, in quo morantur etiam ad breve tempus, & secluso scandalo. *Ita Covarr. Suarez. Lessius & alii communis.* Prob. 1. ex S. August. 1. 3. Confess. c. 8. ibi. *Qua contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt; ut pactum inter se civitatis, aut gentis consuetudine, vel Lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens.* Item ex Epist. ad Januar. 2. Quia pax, ordo, recta gubernatio, bonum commune territorii postulant, ut Leges Locales serventur ab omnibus, qui sunt in illo, quandiu in eo morantur: ac proinde, Legislatores habet potestatem obligandi etiam peregrinos ad illas Leges servandas: nam Superior habet omnem potestatem necessariam ad bonum commune, & rectum ordinem tuendum in suo territorio. 3. Lex generatim fertur pro tali territorio: ergo obligat omnes ibi morantes etiam peregrinos, qui ratione suæ præsentiae in illo loco, licet brevis, subiciuntur regimini, & jurisdictioni territorii, cum juxta omnes teneantur quibusdam Legibus v. g. ne quis noctu arma ferat, ne triticum efferat, ne peregrinus ultra triduum commoretur, &c. Ergo peregrini

regri

regrini tenentur titulo subjectionis servare Leges alieni territorii, suntque verè subditi Principis illius loci, ratione suæ præsentia in illo, non quidem permanenter, & habitu, sed solùm transeunter, & actu: quippe ad transeuntem, & brevem subjectionem sufficit brevis præsentia, sicut ad transeuntem exemptionem à jurisdictione, & Legibus sui territorii sufficit brevis absentia. 4. Peregrini, eo ipso, quòd exeant è proprio territorio, solvuntur Legibus illius: ergo eo ipso quòd ingrediantur territorium alienum, subjacent Legibus illius; præsertim cùm gaudeant ejus privilegiis, nam qui sentit commodum, & onus sentire debet ex *Reg. Jur. 55. in 6.*

Not. Peregrinus tenetur solùm iis Legibus loci, quarum observatio non requirit tempus longius, quàm illud, quo ipse ibi moratur. Nam quoad alias non censetur esse in loco moraliter; nec ad eas implendas tenetur diutiùs morari, quàm statuerat; quia non obligatur ad ibi permanendum, sed solùm suppositâ præsentia ad implendam Legem, quæ tunc impleri potest. Hinc tenetur servare omnia præcepta Localia negativa, v. g. abstinere ab esu carniùm, nam hæc non requirunt moram. Sed qui transit per locum, ubi est dies Festus, in alium, ubi non est, non tenetur cessare ab itinere ad audiendum sacrum, nec secluso scandalo illud audire, si
ibi

ibi moretur solum ad sumendum cibum: quia mora non est proportionata impletioni precepti. Econtra tenetur audire sacrum, si sufficienti tempore moretur, vel si Festum servetur in loco, ubi pernoctavit, aut in toto illo territorio, per quod usque ad meridiem acturus est iter.

CAPUT V.

De Interpretatione, & Epiichia.

Q. 1. **Q**uid, & quotuplex est interpretatio Legis?

Resp. Interpretatio Legis est explicatio sensus Legis. Triplex est; authentica, Usualis, & Doctrinalis. Interpretatio authentica, seu cum autoritate prolata est ea, quæ fit per ipsum Legislatorem, vel ejus Superiorem, vel successorem, vel per Ministros ab ipso constitutos: habetque vim Legis, cum procedat à Superiore habente potestatem Legem condendi, & explicandi in sensu, in quo vult illam servari. Usualis est, quæ petitur ex communi usu, nam *consuetudo est optima Legum interpret.* Cap. 8. *de consuet.* Doctrinalis est ea, quæ fit per homines doctos, ac peritos. Quamvis hæc non habeat vim legis, cum non procedat à potestate jurisdictionis,

Tom. I. I sed